

Itaque Henricum Leonem revera ad legem Alle-  
mannorum vel Suevorum provocasse judicandum est  
tanquam suam, qua ipse ex natione sua uteretur. Hujus  
autem provocationis quodammodo consequens erat, ut  
judicium celebraretur in ipsa Suevia a viris juris Alle-  
mannici peritis. Itaque locus judicii non ipso jure  
nascebatur, tanquam Imperatores lege aut consuetudine  
ad certa loca judiciorum astricti essent, sed consequentia  
quadam ex genere legis inferebatur, ut ibi iudices se-  
derent, ubi copia esset delectusque haberi posset peri-  
torum legis. Ita Henricus IV, cum Otto dux Bajoario-  
rum, sed Saxo, accusaretur, non tantum principes Saxo-  
niae, sed etiam in Saxonia, nempe Goslariae, consuluit.  
Sed Fridericus I. neque in Suevia causam Henrici Leonis  
tractavit, neque (quantum apparet) per Suevos, sed per  
proceres judiscriminatum. Itaque dux jus receptum in  
se violatum querebatur. Ita igitur hanc ejus tanquam  
fori haud competentis exceptionem accipiendum putem.

Gratissimum fuisset, si quid de studiis tuis consi-  
liisque et occasione, quae tibi hanc quaestionem ingessit,  
indicasses. Significa, quaeso, domino Dulseckero, qui  
tuas ad me misit, ut eminenti mathematico apud Basi-  
leenses, domino Johanni Bernoullio exemplum meae  
Theodiceae mittat, quod ego per dn. Forsterum ei sarciri  
curabo.